



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Catalogus Episcoporum Hildesiensium

Letzner, Johannes

Hildesheim, [ca. 1690]

XL. Magnus

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64252](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64252)

peracta inter pagos Dincklar & Varmiffen. Gerardus verò voti aut promissi reus, ex pecunia lytri nomine soluta, turrim choro imminentem, laminis inauratis stravit: emptâque suburbanâ areâ, P. P. Carthusianis eximiis B. V. cultoribus habitaculum struxit, quod Claustrum S. MARIE appellari voluit Anno 1388. Arces Steinbrücken & Cöldingen uti & castrum Vinenborg cum adjuncto territorio à Comite de Wernigerode coemptum, Dicecesi adjecit. Ætate denique grandior, adlecto Coadjutori Joanni Comiti de Hoja Episcopo Paderbornensi 19. Præfecturas reliquit, felicem æternitatem ingressus Anno 1398. 15. Novembris. 34. Episcopatus: in templo Carthusiæ suburbanæ à se constructæ & dotatae, ut optarat, sepultus.

XXXIX. JOANNES III. Cujus præcipua laus, quod Ottoni Monasteriensi Episcopo fratri suo armorum gloriâ & amore haud impar fuerit: cæterum vitiiis & deliciis addictus, præfecturis & aliis bonis Episcopalibus aut oppignoratis aut alienatis, in omnium odium dejectus, inglorius decessit, postquam 26. Annis pessimè præfuisset Anno 1424. in Cathedralis Ecclesiæ navi tumultatus.

XL. MAGNUS Patre Erico Duce inferioris Saxonie & Lawenburgi natus, Episcopus Caminensis, primum Coadjutor, deinde Episcopus Hildesienfis, summâ cum lætitiâ exceptus, singulari humanitate affabilitate & mansuetudine omnium animos sibi devinxit: arces nonnullas instauravit & ære alieno liberavit, omniaq; in pristinum statum reponere studuit, ac prædones repressit. Ejus suasu, Borchardus Steinhoff
ca-

Cathedralis Canonicus & Cellerarius, Clero ad aliquam veteris disciplinae formam reducendo, Sacellum S. Antonii cum imminente dormitorio construxit, Anno 1443. sed sine frustratus. Approbante Magno Eghardus ab Hanensehe Cathedralis Præpositus novam Civitatem hactenus solo muro cinctam, vallo & fossâ communivit, ab Anno 1450. ad 1461. Deniq; senio & laboribus confectus, & nominis omen implens, cum 17. numeraret Dynastias, & 28. Annis Diœcesin optimè rexisset, & Coadjutorem admisisset, piè obdormivit Anno 1452. 21. Septembris in navi Cathedralis Ecclesiæ sepultus.

XLI. BERNARDUS II. Dux Lunæburgicus è Coadjutore, Magni in Episcopatu successor, sexennio præfuit, cumque sacrorum ordinum adhuc expertus esset, ac secularis vitæ potiùs, quàm Ecclesiasticæ amore teneretur, dimisso Episcopatu, Anno 1459 Mechthildem filiam Ottonis Comitis Schowenburgensis, uxorem duxit, Anno 1463. à qua tamen intra anni spatium per mortem avulsus est.

XLII. ERNESTUS I. Ottonis Comitis Schowenburgici Filius, Mechtildis prædictæ Frater, nullis sacris ordinibus initiatus 12. Annis administravit Diœcesin, à Friderico Duce Brunswicensi in prælio fusus, fugatusq; in morbum lethalem dejectus, nullis Ecclesiæ Sacramentis præmunitus, æternitatem ingressus est. Anno 1471. 22. Julii. Ad Altare S. Petri prope Sacristiam tumulatus.

XLIII. HENNINGUS. Dicitur de Domo, vir probitate, gravitate, modestiâ, eruditione & corporis proceritate præcellens, è Decano Cathedrali,
plu-